



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Ex Aristidæ aliorumq[ue] sententia paupertatem diuitijs antistare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

æquè appetat leporem, aut aprum. Esse præterea illis mille cruces à filijs, ab vxore, à famulis, & vnde non? quæ omnia pauperes cum ignorent, tantùm aurum diuitum ac purpuram aspiciant; & si quando vident eos albo prouehi curru, inhient & adorent. Quòd si illos contemnerent, negligerentque, neque ad argenteum currum oculos haberent intentos, neque inter colloquendum smaragdum annulo inclusum respectarent, neque vestes obiter contrectantes molliciem admirarentur, sed sinerent eos ipsos sibi diuites esse, haud dubium futurum esse, vt ipsi egenos vltro adirent, ad coenam rogarent, nimirum vt illis ostendere possent lectos, mensas, ac pocula. Quarum rerum nulla sit vtilitas, si sine esse possideantur. Certè hæc talia pleraque à diuitibus pauperum causa parari, non vt vtantur ipsi, sed vt ea pauperes admirentur. Hucusque Saturnus apud Lucianum ad pauperes, qui hanc addit denique coronidem: *Hac ad consolandos vos scribo vtramque vitam cognitam habens. Conuenitq; ita festum agere, vt cogitatis, omnibus breui decedendum è vita, & illis, depositis opibus, & vobis relicta paupertate.*

III.

His talibus argumentis solabantur pauperes philosophi fabulantes, eademque erat ratio, vt opinor, Aristidæ, qui multò iustiùs se paupertate gloriari posse credidit, quàm Calliam Atheniensium ducem opum amplitudine & copia: nemini eam rem indecoram esse dictitans, nisi qui paupertatem inuitus ferret. Nemo profectò sapiens vel alij suaderet, vel ipse diuitias abijceret, nisi manifestò videret, pauperibus melius esse, quàm Midis illis, quibus dum omnia in aurum vertuntur, esuriunt & sitim patiuntur. Neque enim aut pro vino, aut pro culina audent nummos expendere. Itaque & alij sapientes, vt diuitijs demerent supercilium, paupertatem permulcere maluerunt. *Putemus nos ad concionem vocatos, ait Senec. ep. 87. Seneca. Lex de abolendis diuitijs fertur, his interrogationibus suaseri, aut dissuasuri sumus? his effecturi, vt populus Romanus paupertatem, fundamentum, & causam imperij sui requirat ac laudet? diuitias autem suas timeat? vt cogitet has se apud victos reperisse? Hinc ambitum, & largitiones, & tumultus in urbem sanctissimam temperantissimamq; irrupisse? nimis luxuriosè ostentari gentium spolia? quod vnus populus eripuerit omnibus, faciliùs vni ab omnibus eripi posse? Hac satius est suadere, & expugnare affectus, non circumscribere.* Eadem